



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 12. Et dixit eis, quem quæritis. v. 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

**O** Benedicte Iesu, ubi iam ille timor, qui paulo ante te occupabatur? ubi iam illi gemitus? illic anxietates? terribilis ille mortis horror? paulo ante, cum etiam procul essent hostes, tristis eras usque ad mortem: nunc cum coram ante tuos oculos praesentes adstant, & tanquam leones rugiunt, tui sanguinis cupiditate furentes, non exanimaris; non times; imo forti animo vadis obviam. Video, video: amor pro me salvando cogit te vehementer; voluntas quam in manus Patris resignasti ultrone pro me compellit te ita insurgere, uti gallina pro pullis contuevit pugnare. O ineffabilis benignitas & amor! seipsum Dominus lupis exponit, ut oves suae evadant immunes a moribus eorum. Da igitur mihi clementissime Deus, ut abnegem propriam voluntatem meam adeoque submittram sub te Domino meo, ut, si opus sit, pro te vicissim exponam vitam meam.

§. 12. *Et dixit eis, quem quaritis. v. 4.*

Ecce animum promptum Christi ad patiendum, non solum enim adversariis occurrit, sed prior interrogat, quem quaritis? idque humano & amico quodam tono, non increpatorio & severo ad eos percellendos apto, quo, uti postea, statim perculli fuissent & retrocedendo cecidissent. Sed non sic Dominus meus; mitis est, suavis est. non agit uti nos passionibus agi & agere solemus.

**O** Jesu dulcis amator hominum; quis amor cor tuum absorbit, ut ad mortem quasi ad nuptias properes! hostibus perinde ac amicis obviam procedas? expectare saltem poteras, donec ipsi te alloquerentur; sed sicut salutaris amicus in via, ita eos prior es allocutus, dicens: *Quem quaritis?* nimirum amoris ignis per tua se membra diviserat, & medullas animae tuae liquefecerat, & urebat, postquam sudore sanguineo ex te exierat omne frigus naturalis timoris, ut iam totus esses propensissimus ad satisfaciendum dilectionis exactiōni & per charitatem animatus, ut Gygas imperterritus ad currendam viam salutis nostrae alloquens inimicos ut te arriperent cito citius. O amor indicibilis salutis nostrae, da gratiam Domine, ut saltem aliquo amore tui ferveam & ad aliqua levia pro te, offeram me.

§. 13. *Responderunt ei, Iesum Nazarenum. v. 5.*

Si hoc verbum eo animo protulissent, quo ipsum in se significat, fuisset responsio & inquisitio plane sancta. quid enim est querere Iesum Nazarenum? utique non aliud quam illum quem scimus venire debere ut salvet mundum a peccatis & a diabolica potestate. at ille non fuit sensus respondentium, sed talis qualem habebant etiam Scribae, Pharisei, Pontifices

B

fices